Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.

Promotiones Ordinis Philos.

1636. mens. Januar?

Canevesi Thomae: Hercules Triumphans in Venerab. XXI. Candidatis.

Pocz. ja 2764.

HERCVLES TRIVMPHANS.

IN

VENERAB. XXI. CANDIDATIS,

DVM SVB AVSPICIIS

Illustrißimi ac Reuerendißimi Domini,

D. IACOBI ZADZIK,

Episcopi Crac. Ducis Seueriæ:

Academiæ Crac. Cancell. Ampliss.

IN AVLA D. IAGELLONIS Artium & Philosophiæ Licentiati, ritu solenni, RENVNCIARENTVR.

A

THOMA CANEVESI, eiusdem Secundæ Laur: Candidato,

EXCITATVS.

Anno Dom. M.DC.XXXVI. Mense 23. 13. *Die*

CLARISSIMO & ADMOD. REVER. D.

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO,

S. Theol: D. ac Prof. S. Flor: Præp. Almæ Acad: Crac: Procanc: longè dignißimo.

THOMAS CANEVESI Laur: Sec: Cand: S. & F. P.

HErcules triumphans (mens ſcilicet Candidatorum) omninò in lucem publicam, ſub glorioſo nomine tuo voluit prodire Adm. R. D. comparatus enim ſplendor nominis eorum authoritate veſtitus, cunctis debet innoteſcere, quorū patrocinio, pio præterea ſudore conſurrexit. Quis verò humi reptantes animas noſtras ad eam deduxit dignitatem, vt Herculis triumphantis nomine inſigniri verè debeant; Tu ipſe. Siquidem Hercule, naſci Herculem nemo mirabitur, quod nobis in omnibus Candidatis tuis accidere video, nunc enim primùm naſcimur, cùm vitæ rectæ exordia te Patrono auſpicamur: Te verò Adm. R. D. non modo parietes Matris meæ, ſed variæ Philoſophorū ſcholæ, librorū volumina, plurima Ithaliæ Collegia, Herculem, & quidem triumphantē profitentur. Amputaſti non iam Hydræ, ſed errorum, tam in humanis, quàm Diuinis litteris multa capita, è quibus perniciosa mentiū humanarū peſtis erumpit, viciſti in area ſapientiæ decertantium argumenta, vt nominis tuæ amplitudini fines vix imponeres. Neque verò me audacioris ſpiritus argue; quod nomen Æ. R. P. tuæ congruum, meis Concan: attribuam, præter enim ius hæreditariū, quod filios in gloria genitos Patrū nomen geſtare præcipit, innatus omnibus ardor ad veſtigia Maiorum calcanda perſuaſit; qui etſi eò ſæpè, quò cupit non perueniat, hoc tamen in paſſu mens noſtra, pio affectu & voluntate imitandi ſatiata, nomen Herculis etſi non triumphantis, triumphare tamen cupientis, poßideat. Rependat verò Princeps rerū omniū, digna virtuti tuæ præmia, quâ tu cæli iniurias, temporū inconſtantiā, ætatis tuæ cunctis chariſsimæ debilitatē nihili faciens, noſtro profectui & honori conſulere voluiſti, Hoc vnicū etiam fore ampliſsimi nominis tui lumen exiſtima, dum conſpiratæ in vnū voluntates noſtræ, te Patronū & Fautorē ſuū proclamabunt, nobis verò eam inſtillet mentē, vt tuo labore, ad illuſtriorē Academiæ lucē educti, libentius iam Deo, Eccleſiæ, & Patriæ ſeruiamus. Vale.

HERCVLES TRIVMPHANS.

Victoris Herculis propago viuida,
Ordoq́; confratrum meorum candide,
Quâ dictione te alloquar, quo carmine?
Hoc vnicum cunctis onus grauissimum;
Compressa Musæ labra tunc cognoscere,
Cum postulat res ipsa, carmen maximum:
Resurgere video, Herculis nunc fabulam,
Hic, positus inter nemoris alta iugera,
Antiquitatis cecinit Echo vt posteris,
Errore tramitis ne rueret funditus,
Ignorat, in qua parte sapiens nesapus,
Figat pedis non lubricum vestigium:
Timorné tantus, membra congelat tua;
Qui multa capita Hydræ, scidisti acinace,
Monstroq́; non domito manu bellantium,
Vitam necasti, gloriæ dans semina,
Sparso cruore Bestiæ in terræ sinum:
Ingredere tandem, fata te quo tua vocant,
Viamq́; calca, quam tibi ordinant faces
Cæli, misera mortalium mens non valet,
Solertioris impetus conamine,
Cursus rotarum illustrium conuertere,
Quas opera consequuntur hominũ plurima:

 Vos quoq;

VOS quoq; animæ Fratrum meorum amabi-
Vestræ triumphos mentis excellentiæ (les,
Exstruere si vultis gradu procedite
Ductoris huius, non metu cor langueat,
Fortuna reddit exitum cunctis probum,
Audaciam quorum fouet prudentia.
Nec turpe verò existimetis esse opus,
Audaciore spiritu, viam sequi;
Quæ, nomini sidus serenum conferat,
Illustrioresq; faciat Patrum imagines.
Exordium cuiuslibet vitæ, peti
Ex anteacta debet alterius via,
Vt auferatur vana nouitas omnium,
Quæ nulla in actionibus nostris manet,
Facientium solo innouatur ordine.
Quidcunq; mundus claudit in grandi globo,
Totum id sequi antiquissimam legem iubet,
Nec posteros in temporum successibus,
Cupit priores esse, rebus in nouis.
Ergo meorum Candidatorum optime
Cætus, potentis Herculis cor indue,
Eiusq; spiritus necatos funere,
Mittas tuorum in viscerum penetralia,
Reuixit Hydræ feruor, & cæsa omnia,
Abscissaq; semel capita, rursus ad sui
Redeunt ferum, res mira! truncum corporis;

Truculentaq; modò anima resurgit Bestiæ,
Efflatq; pestem gutturis meatibus,
Intereat elegantius quâ hominum genus
Videsnè? viuit quanta scelerum immanitas,
Crescitq; sensim temporum auctionibus,
Et ferream vitam retinet, hoc ferreo
Splendore secli, quàm nec arma militum,
Nec ignium tædæ, volantes compita
Per lata cæli, fulminum non murmura,
Collisionibus excitata nubium,
Terrore grandi supprimunt; sed iugiter
Dies videtur horridos protendere.
Vestro relinquitur operi, qui candidum
Nomen tenetis, nuncq; Lauri munere,
E plebe media, ad altiores ordines
Consurgitis, calcate vos proteruiam,
Omnesq; turbas sceleris iniquissimi,
Ac vt secundè vestra cæpta profluant,
Tumens caput superbiæ, rescindite
Primùm, molestum huius mali virus nimis,
Excelsiorum inflatq; sæpè verticem,
Furore turpi, vt audeant non modò suum
Onerare pectus, innocentum sed animas
Heu vulnerent, ô corda fastu turgida?
Morsus retundat asperos mundi arbiter
Affligitis quibus innocentum pectora.
Spernenda post sunt philtra, quæ, lasciuiæ,

 Mundiq;

Mundiq; fluxa vanitas, mortalium
Genti propinant, vinculisq; infamibus
Dant prosedarum, vincta queis pectora pia,
Ruunt in omne fas, nefas, & perpetrant,
Fulmine necanda facinorum spectacula;
Serpit quidem blando prius sub tegmine,
Pingitq; prunas feruidas, charissimo
Lusus, ioci, risusq; plausu, verùm vbi,
Liquabili feruore cor concusserit,
Diffunditur in atras anima caligines,
Illeq; venustus spiritus mentis, nigra
Fœdatus aura, turbidus primùm manet,
Post triste limen scandit Erebi, vbi lacus,
Fumosa cingit atria infaustæ domus,
Limphæq; cerebrorum creatæ iusculis
Gurgite fluunt crasso, putredinis ictibus,
Grauiq; fœtorum lue, excruciando sat,
Vmbras leues mortalium venientium,
Nec, inuidarum mentium fœda macies,
Liuorq; turpis est fouendus; hic cupit
Omnes subesse propriæ solertiæ,
Nec audit, aliorum audienda nomina,
Virtute facta; verùm vbi consurgere
Alterius altè gesta nouerit, metu
Splendore de famæ suæ perterritus,
Euertit omni virium conamine,
Laudis serenæ lucidam præstantiam.

O turpe

O turpe portentum omnium mortalium,
Liuoris huius causa quæ quod commodum?
Diuina vult hic iura confringere, cui
Torquet animam, nomen stupendum illustriũ,
Et cor videtur rodere; DEI numine
Sunt cuncta, quæ fiunt bono cum regimine;
Amanda potius est proborum gloria,
Vlnisq; complectenda, siquidem nil odia
Recti creant; his maximæ Respublicæ,
Doctæq́ corruunt domus, nam lampade
Famæ bonæ extinctâ, tenebræ ipsæ manent,
Ruina post inter rudem caliginem.
Ignauiæ dein premenda fœditas
Torporq; mentium grauis procul, procul,
Pellendus est, in monte nam, sedem suam
Locasse Diuas credimus, quem scandere
Pigrore poterunt membra nusquam languida:
Hæc Hydra vobis est domanda fortiter
Hæc monstra scelerum sunt necanda. Nulla
O Candidati candidi, Phœbi decus? (vos,
Minutioris criminis, poterit lues
Maculare post, nam qui capita represserit,
Aduertet omnia membra corruere statim.
Vestro beato facinori, diuûm cohors,
Nomen triumphantis dabit sic Herculis.

V. D. PAVLO KWIATKOWSKI.

IAm tuo, pulchris radiata gemmis,
Satrapæ mundi cerebro creata,
Sponte concedit capiti coronam,
Flore nitentem:
Clara virtutum generare ſacta,
Et dies, pulchris recreare geſtis,
Eſt ſuæ menti, fabricare grandes,
Laude coloſſos:
Nomen excelſum, poterit perennis
Gloriæ curſus, dare per Sophorum
Ora, ſed ſemper, rutilet beato,
Sidere facti:
Non phago, dulci ſaturatus eſcâ,
Nec venenatis grauidus ſariſsis,
Quas puer vibrat, potis eſt ſecundum
Noſcere carmen:
Sola virtutis facies venuſta,
Aureo ſemper renitens pudore,
Ad ſuas laudes, repetit Dearum,
Agmina denſa:
Vita non à me tua copioſè,
Debet ornari; procul ignearum
Lampadum ſplendor volat, abſque dulci,
Voce Camænæ.

Sic tuæ

Sic tuæ mentis radij corusci,
Omnium menti, patuli refulgent,
Sume, Doctoris nitidam tiaram,
Omine recto.

V. D. THOMÆ BIENIECKI.

Excelsa scandit littora nubium,
Ac funda vasti verticis ignei,
Ciconiarum turba fulgens,
Remigijs rapidis reuecta:
Nec dorsa Ponti fluctibus aspera,
Rostris repandit continuo die,
Balæna suescit, scire fauces
Aequoris, horribilis, profundas:
Sed prendis altos tu mage vertices,
Celsos honorum iam rapiens gradus,
Quos fabricauit ipsa virtus,
Sed comitem retinens laborem:
I, quò secundis Iustitiæ Dea,
Decernit omnem, currere passibus,
Cuî dona mentis, ampla fecit,
Filia multipotens Tonantis:
Brabia, factis ferre decentia,
Est tempus. (atras post tenebras dies)
Theatra conscendas Sophorum,
Ingenij radiata gestis:

Tu, vaſtitatem, ſpectra ſtudentium,
Infixa craſſo mentis acumine,
Adimple felix, & beatus,
Rectiloquo tonitru tonando:
Accepta verò ſymbola gloriæ,
Forment perenni tempore ſtemmata,
Quò, Luna tellurem rotundam,
Curribus ignirotis rotabit.

V. D. PAVLO MANKIEWICZ.

Pallas delicium meum;
Et cunctæ Charites, quæ pede proſpero,
Calcant tergora, floridi
Montis, carminibus quæſo meis, bona
Nunc infundite pneumata,
Si recti ſtudij, vel minimæ faces,
Accendunt pia pectora,
Nunc, nunc, incipiant dicere gloriam,
Confratris mihi candidi:
Quem, nec ſpurcities mœſta doloribus,
In fallax poſuit iugum:
Nec fraudis rabies, ſtulta furoribus,
Vinxit compedibus ſuis.
Nec flentes gemitus, ob ſcelus aſperum,
Vndârunt grauibus vadis:
Sed cymbam tenuem, per mare turbidum,

Duxit tramite candido:
Ac horrenda nimis rupibus æquora,
Et tot culmina fluctuum,
Illesis pedibus transiit, ac tenet
Doctæ littora Palladis:
Hic, (fas augurium si mihi condere),
Hac virtute modestiæ,
Quam sumpsit toties Matris ab vbere,
Franget ficta lararia,
Ne dilecta Deo cantica gloriæ,
Sumat lucifugum genus;
Ne crassis tenebris atria lurida,
Orci lampada sentiant;
Conatus igitur iunge tuos precor,
Et primordia perfice,
Quæ, sat clara tibi nostra Parens dedit,
Si vis viuere perpetim.

V. D. IACOBO KVBITKOWIC.

Tu, quem delicijs venusta turba,
Et veræ Sophiæ corusca luce,
Ex sortis tenuis cohorte parua,
Ad dulces meriti vocauit auras,
Ominibus procede bonis, & præmia sume:
Nosti, tramitibus vijsq; tantis,
Nostram surgere gloriæ coronam,
Et nusquam radios vibrare laudum,

Nuſquam prendere præmium laborũ.
Maxima, ni factæ præcedant tædia vitæ.
Hæc dulcedo meis, tuiſq; Muſis,
Senſu voluere priſtinum dolorem,
Et ſudore pio dies priores
Repletos, modico leuare riſu,
Inconſtans quem Diua facit, pro tempore
Tu verè nitidum decus tuliſti, (læto.
Parenti tolerans Academiæ,
Horas, tot ſtudio manente ſemper,
Et viuace diu laboris æſtu,
Seu Phœbus torrebat agros, ſeu bruma ri-
Ergo munera, pro labore tanto, (gebat:
Doctoris titulum Scientiarum.
Quas humana capit libens poteſtas,
Sumas, officij memorq; tanti,
Artibus inſtituas teneram virtute iuuentã.

V. D. MARTINO BARSZCZ.

Altius extollunt iam cæli lumina vultus,
Non imam partem retinet Sol:
Eius ſed facies, roſeo ſuffuſa colore,
Sublimes iam tendit ad oras:
Nec procul à ſummo iam diſtat vertice cęli
Vix non Tauri cornua flammat
Auſpicium cognoſce bonũ ſtudioſe laborũ,

Tenam

Te nam ſecum ſidera ducunt: (rum,
Iamtempus grauiori paſſu celſa tenere,
Et tenues poſtponere greſſus.
Et cùm ſidereis ſemper rapiaris habenis,
Illorum nunc tramite curre: (las,
Ac quoniam toties volitantes cernere ſtel-
Per cælorum tergora lata,
Delitię dulces tibi ſunt, maneat quoq; dul-
Stellarum curſus imitari; (ce,
Ætatisq; ſuæ progreſſus, laudis onuſtæ,
Incremento velle leuare:
Talibus agnoſcas aſſurgit noſtra poteſtas,
Hác iter eſt ad tecta potentum:
Currimus ad ſublime decus, per talia facta,
Ad fulgentia culmina laudum:
Non haſtâ, ferro, clypeis, aſt hiſce creantūr,
Immortalia nomina noſtra.

V. D. MELCHIORI MąCZYNSKI.

Sint præclara licèt mænia turribus,
Et ſint præſidiis firma potentibus,
Cunctorum ſubitò robora corruent,
Fatis fracta ferocibus:
Hæc orbis miſeri machina conſtitit,
Circumſepta malo non tolerabili,
Nam quæcunq; facit dextera maximi,
In foſſas humiles cadent:

 Et quæ

Et quæ principium, primaq; limina
Fortunæ poterant noſcere ſplendidæ,
Vitæ concipient tempora triſtia,
Certo fine carentia:
Tantùm ſola manent artibus optimis,
Acquiſita bonæ ſidera gloriæ,
Non caſus rabies, noxq; periculi,
Hanc vmbrare diem valent:
Talis vita tibi munere cælico,
Et de ſtelligeris miſſa rotatibus,
Venit, iamq; ciet dulcia cantica,
Plauſus lætitiæ nouos:
Viuet iam capiti facta tuo virens
Laurus, poſt cineres buſtaq; poſtera,
Certè temporibus perpetuis aget,
Semper viua ſuperſtitem.

V. D. IOANNI FRANKIEWIC.

Verba tuo ſint docta licèt ſub pectore Diua,
Nec auferendo ſæculis,
Tempore permaneant:
Perpetuòq; facis cunctorum viuere nomen,
Tradunt ſuum qui cor tibi,
Ingeniumq; capax:
Non tamen illuſtres poteris cantare triumphos,
Dignè Parens quos excitat,
Mater Academia:

Dum

Dum tribuit laûros, pulcherrima stemmata laudum,
Quæ condidit virtutibus,
Et gradibus studij:
Mortales calami plaudenti talia facta,
Dant æuitati carmine,
Decrepitæ nimium:
Voce valent verùm nusquam condigna laborum,
Dicere triumphis carmina,
Ingenuumq; metrum:
Concipe tu lusus animo, plaususq́ serenos,
Qui particeps, illustris es
Nominis, & tituli:
Nam quo siderei vultus ducentur habenis,
Circa globum terræ, scies
Tempora conspicua.

V. D. VALENTINO DĘBOWSKI.

Cælum dum facibus micat coruscis,
Et dum lumina, siderumq; turbas,
Cursu circulat aureo,
Circumdans tenuem globum:
Quis non immodicum capit stuporem?
Arrectis oculis manetq; totus?
Vultum cum leuat ardua,
Sub tentoria luminum:

Micam

Micam non animæ tenebit vllam,
Si quem non potis est focus mouere,
Accensus regionibus,
Fundatis super æthera:
Mirari mage sed tenetur omnis,
Cuî pectus cupiant lauare limphis,
Fontis Sicelidum Deæ,
Montis cunctaq́; numina:
Nam non picta videt nitere vano,
Tecta, stelligeræ rubore lucis,
Sed expressa coloribus,
Viuis lumina gloriæ:
His tu conspicuus satis refulges,
Matris munere dum capis decores,
Doctoris titulum grauem,
Natiuæ Sophiæ gerens:
Te natura suis beata donis,
Ornauit satis ac satis secundè,
Omnes iudicium tuum,
Cernunt ingenium sagax:
Te nunc inspiciat frequens caterua,
Mireturq́; tuum decus beatum,
Et te pectore candido,
Optet viuere iugiter.

V. D. CHRIST: MISKOWSKI Nouicamp.

Quam pulchra campi limpidii viridaria,

Florum venuſtas eſt vbi:
Si candor adſit lilij, gratus oculis,
Et aureus roſæ rubor:
Violæ, colores ſi poli ſecum ferant,
Hortiq; dorſum vaſtius,
Ornetur vndiq; dulcibus viroribus,
Quos terra fundit fertilis,
Conſperſa riuis imbrium cæleſtium,
Et rore Lunæ viuido:
Illuſtrioribus magis decoribus,
Et gratiis humana mens
Floret, cui muneribus optimi DEI,
Et ſuauibus moleſtijs,
Donat labor quales atrox ſed optimus,
Vitæ tenendæ ſtamina,
Illudq; ſtadium quod tenetur currere,
In ſingulos florent dies,
Scientiæ nam floſculos, perennibus
Noſtris coronis inſerit,
Lauriſq; donat omnium felicitas:
Fronti tuæ iſtud tu precor
Impone ſtephanoma, omine beato, ſimul
Aeternitatem nomini,
Tuoq; concedes honori ampliſsimo,
Vitæ perennis ſtigmata:

Infimam nescit retinere sedem,
Non humi serpit; tenuiq́ gressu,
Linquit elatos, studij recessus,
Candida virtus.

Semper insignes cupit illa sellas,
Et cacumen scandere montis altum,
Verticem cuius solidum perennis,
Gloria fecit.

Ac petunt flammæ veluti supernam,
Aetheris partem, subitoq́; cursu,
Ipsius puri, validiq́; cæli,
Tecta penetrant.

Vera sic virtus, super astra celsa
Erigit frontem, patitur nec imo,
Stemmatum munus remanere claustro,
Terrigenarum:

Hæc bonas mentes, stimulat decentem,
Vt statum vitæ cupiant tenere,
Et fuga vitent fugienda semper,
Agmina plebis:

Ergo felicem cui vera virtus
Floret, & cum crescere sentit annos,
Non negat (rectus sapiens notetur)
Crescere mentem:

Qui caput lauro redimit beatum,
Seq; Doctorum sociat phalangi,
Floret hic verè, stadiumq; vitæ,
Currit amænum:
Non dies huius Lachesis furore,
Auferet candens, procul exulabit,
Mentium vectrix fluuium per Orci,
Cymba Charontis.

V. D. PAVLO PRZYGOCKI.

Non semper mare turbidum,
Ventis permouet Aeolus,
Suescit littora parcius,
Illorumq; latus graue;
Paruo flectere turbine,
Nec tam vertere fortiter:
Vitam non hominum quoq;
Semper percutiunt mala,
Sunt solatia tristibus,
Afflictisq; suum decus,
Et nullus, cui debilem
Conturbans animam labor,
Donat tædia pectori,
Viuit, præsidio carens,
Dulcis nomine gloriæ:
Tales tempore perpetim,

Mandat viuerebarbitus,
Musarum lepidi chori:
Horum de numero quoq;
Cùm te Musa canat mihi,
Laurum sume decus tuum,
Et solatia suauia;
Perpesisq; laboribus;
Duc fas voluere gaudia,
Lauri parta decoribus.

V. D. ALBERTO LANCVCKI.

Iactatur altis fluctibus orbita,
Paruo quietem tempore sustinet,
Humana vita, nec modestos,
Continuò gerit illa ventos:
Fortuna, falsâ fronte superbiens,
Innatus orbi stultitiæ furor,
Rerumq; mundi flexiones,
Dant studijs hominum ruinam:
Seu corda quorum suscitat igneus
Mauortis ardor, terribilis manu,
Frangente ceruices superbas,
Enseq; dilaniante colla:
Seu quos per vndas antraq; montium,
Fames habendi non satiabilis,
Ductat, relinquendo paternas
Diuitias, & amica tecta.

Quorum

Quorumué mentes, atria ſplendida,
Quò vita floret tempore recreant,
Cuncti, volatus noſſe poſſunt,
Auxiliumq́; Deæ caducum:
Eſt ſola florens vis Academicis
Innata Muſis, quæ facit anxiis,
Vitam procellis non moueri,
Turbine nec rigido ſecari:
Complexus hanc tu iam bene proſpero
Inflecte vitam ducere cardine,
Matriſq́; nidum dulciorem,
Melle ſacro ſatagas tueri:

V. D. ANDREAE LIPNICIO.

Si natura cui parens,
Illuſtres radios indolis optimæ,
Dextrâ non modicâ dedit,
Hic, conceſſa ſibi munera, pectore
Dilatare velit pio.
Flagrans, & cupiens continuo die,
Rectis currere paſsibus,
Ac ſuccenſa ſemel corda decoribus;
Flammis irradians nouis,
Virtutis fieri ni ſpolium ſuæ,
Iniuſto velit ordine:
Hæc verùm cruciant fracta tumultibus,

Ceu tormenta ferocia,
Mortales animas, quoq; ſuos gradus,
Poſsint vertere neſciunt:
Iam ſi conſilijs colla licet dare,
Docta mente manantibus,
Mores quiq; ſuos dent Academico
Informare ſolo, fluunt.
Hinc omnis Sophiæ flumina dulcia,
Ornando ſteriles agros;
Sat riuis animus talibus, eſt tuus
Irrigatus amæniter,
Et felicia iam germina protulit,
Quæ tu creſcere per dies,
Conatu cupias aſsiduo precor:
Te, non otia torpida,
Turpis ſegnities, fluxaq; vanitas,
Ponant in laqueum ſuum:
Verùm celſa magis culmina ſcandere,
Virtutum ſtudeas libens,
His vt ceu gradibus, clarus eat tibi
Sublimi titulo thronus.

V. D. IOANNI CORLANDZ.

Sceptra cur Lechici dedere Reges,
Auro fulgida, candidæ Parenti,
Fautrici ſtudij celebrioris,

Quo,

Quo, firmata manet iuuenta præcox,
Maiestas Patriæ floret, splendorq; Senatus:
Diuinare licet domus Sororum,
Versùs Istuleas creata limphas,
Regales animas fouere debet,
Non arrodere dentibus superbis,
Felices annos illustria tempora nostra:
Omnes, quos Superûm benigna fata:
Quos amant Charites Craci venustæ,
Volunt crescere paruulas aristas,
Et consurgere mentium vigorem,
Ne suppressa ruat peruersis indoles auris:
En te delicium meæ Camænæ,
Iam vult altius hæc corona Patrum,
Hic ordo sapiens Philosophorum,
Vult succrescere, tu secunda vitæ,
Omina concipias, & Laurum sume Magistri:
Semper floridus hacce tu manebis,
Clari sanguinis vnicum leuamen,
Musæ præsidium, iubarq; doctæ,
Fontis Sicelidum, melos amænum,
Perpetuoq; tuum florebit, tempore nomen.

V. D. SAMVELI KVSZEWIC.

Misceo lugubres lachrymas, suspiria multa,
Hæc inter alta gaudia,
Lætitiamq; nouam:

Quo magis ardentes cupio nam fundere verſus,
Diaſq; voces condere,
Tum metra Diua negat:
Rebus in humanis ſic eſt! ſolertia noſtra,
Creſcit diebus ſingulis,
Robur & imminuit:
Nec facies dignum quidquam, dum res vocat ipſa,
Natura ſed dum perfida,
Mens quoq; ſufficiunt:
Optaſſem vaſtum Parnaſſum claudere paruo,
Concandidate carmine,
Quo tua geſta cano:
Si mea vota mihi fæcundet magnus Apollo,
Magnæ tuæ ſic indolis,
Splendeat vt radius:
Te cælum, terræq; globus, te machina tota,
Innixa terræ cardini,
Laudibus exhilaret:
Ornatus titulo Doctoris Philoſophiæ,
Longo perennes tempore,
Proſperitate virens.

V. D. BENEDICTO GROBLICKI.

Si quem Muſa ſuo munere cælico,
Perfudit melius, labraq; lacteis
Adſperſit fluuijs, hic, volo concinat,
Mecum metra potentia:

Donan-

Donandum pretium, præmia non licet
Si condigna bono tollere, cuilibet,
Eſt gemmis alius ſplendor, & ignei
Alter ſplendor Iaſpidis,
Aſt aurum veluti fulgurat ignibus,
Quos ſplendor precij, formaq; concitant,
Et vincit rutilis cuncta coloribus,
Noſtris obuia ſenſibus:
Inter ſic animas tu nitidus micas,
Adiunxit cuneo quas Academico,
Tecum Muſa potens, inter & igneas,
Splendet Cynthia ſic faces.
Fronti quidquid ineſt magnificum, tua
Hæc voluit ſapiens indoles, omnia
Admiranda creat maxima perſequi,
Quæ vix mens valeat probè:
Iſthæc ingenij grandis acumina,
Iſthæc eloquij flumina mellea,
A te quæ validis fontibus effluunt,
Dicet poſteritas ſenex:
Solùm poſt cineres ſed tua gloria,
Decantanda metro ne maneat breui,
A dextra capias nunc Academiæ,
Clari præmia nominis.
His tu magna tuo lumina ſanguini,
Formoſasq; dabis ſtemmatibus genas,

Reddes delicijs pectus amabile,
Duces florida tempora.

V. D. ANDREAE WLOSTOWSKI.

Quis est? neget ſudoribus qui præmia,
Laudumq́; concedi decus?
Hic, barbarorum gentibus cor craſsius,
Pectuſq́; geſtat turbidum;
Brutoq́; venas hic repleuit ſanguine,
Mentemq́; geſtat plumbeam;
Nam mitto quocunq; mei ocellum pecto-
Cælumq́; tellurémq́; paruam, (ris,
Et æquoris latiſsimi glebas leues,
Factas furore fluctuum,
Aſpecto: quidquid continet mundi rota,
Imaginis veri boni,
Hæc cuncta, fecit præmium laboribus,
Datumq́, ſudori decus:
Miles pati non vulnerum, non temporum,
Tot calamitates horridas:
Ligno, ſuam non nauta vitam credere,
Ventiſq́; non conſtantibus,
Terras arator vomeribus inuertere,
Studeret omni non die,
Ni noſcat aſperitatis huius gloriam
Dein futuram amabilem:

Tuos

Tuos labores, præmijs sublimibus
Carere non existimes,
O candidatorum meorum floscule?
Cognouit hanc mentem tuam,
Affectus Matris optimus Academiæ,
Quâ perferebas tædia,
Et tot labores, pulueribus in illius,
Doctoris ergo stemmate,
Exornat hanc in te indolem, dignam viro,
Nomenq; iam tuum inserit,
Clarissimorum inter Sophorum nomina,
Iucunda ducas sæcula.

V. D. IOANNI TANSKI.

Qui numerare cupit præclaræ munera mentis,
Quæ retines sub pectore docto:
Ille faces cæli pulchras, in nocte serenâ,
Indole vult cognoscere parua:
Hausisti multas artes, totamq; Mineruam,
Ingenij satis ore capaci:
Sidereos cursus nosti, Lunæq; labores,
Tot currentia lumina passim:
Obscurosq; maris fluxus, Pontiq; furentes,
Per vastissima terga susurros;
Ignis num medium terræ? num culmina puri?
Obtineat? tu, scire paratus:

Curq́; cadat varijs ſemper ſucceſsibus orbis,
Et pluuiarum quæ ſit origo:
Cuncta tibi perſpecta manent, tu melle Maronis,
Fundis crebrò flumina docta:
Fulminibuſq́; tonas, quæ mandat ſacra vetuſtas,
In natis proprijs imitari:
In te, Diua ſuos omnes congeſsit aceruos,
Quos Parnaſsi claudit in horto:
Doctoris laudes igitur mitramq́; capeſſe,
Hoc tua gloria ſurgat in altum:
Te maiora manent, modò cures ſtamina vitæ,
Non decurtet Parca cruenta:

V. D. ANDREÆ CZYZ.

Qui nouit Labirintheos receſſus,
Inſigneſq́, vias, mariſq́ ſpectra,
Sæuis facta tumultibus,
Vix intenta ſcit hic tua:
Nam filo tenui retortuoſos
Vincli Dædalei ſinus, reducti,
Fracti non aliquo malo,
Poſſunt ſcandere proſperè:
Erranteſq́; vias per alta teſqua,
Aſpectu modico poli coruſci,
Anceps pectore nemo ſit,
Prudens effugiet benè:

Aſt abſtru-

Aſt abſtruſa tuæ quis antra mentis?
Ecquis difficiles, ſciet voltaus,
Quorum remigio graui;
Tendis tu ſuper æthera:
Illuſtres animæ tuæq; ſoles,
Non reptare facis per arua terræ,
Aſt ſicut volucris celer,
Vis ſublimia tangere:
Iter ſcilicet hoc putas laborum,
Semper continuas tenere curas,
Et ſubſtructa cacumina,
Crebris ſcandere niſibus:
O mens regia, nunc tibi corona
Datur, non radians licet ſmaragdis,
Exornata tamen mage,
Auro nominis optimi:
Cana poſteritas tuos labores,
Cana poſteritas tuos honores,
Excelſumq; decus canet,
Aeterno fidium ſono.

V. D. ADAMIANO NIEWIESKI.

Fundata quondam nobilium domus,
Præclara iactat lumina ſanguinis,
Pulchraſq, flexuras parentum,
Stemmata continuò recenſens:

O ſtulta

O ſtulta mentis vota? ſuperbiæ
Hæc ſigna tantùm, nominis at boni
Splendor, remotas inter oras,
Barbariemq; iacet cruentam.
Sedemq; ſiſtit, terribiles manu
Inter cohortes, & cuneos leues,
Plebis Getarum, qui cruorem,
Crudaq; fruſta vorant equorum:
Hunc vera firmat nobilitas, cui,
Præter Parentum lucida ſtemmata,
Virtutis ardor, charitaſq;
In literas faciunt Orexim:
Diſiuncta quæ ſi non fuerint, dies
Talis ſerenas ducet, & omine
Ibit beato, per triumphos,
Laude probâ, tituliſq; plenus:
Talem mihi te Muſa canit mea,
O Candidatûm floſcule candide,
Satis genus qui præter amplum,
Iungere te ſtudijs volebas:
Vt docta Pallas, nobilibus Patrum,
Coniuncta factis, det domui tuæ,
Illuſtre ſidus, te per ora,
Efficiat volitare docta:
Nec vota ſentis cordis inania,

Iam te

Iam te, secundùm numen Apollinis,
Doctoris ornatum tiara,
Allicit ad propriam phalangem.

ODE
IN RYTHMVM POETAE:
AD MVSAM.

Hem, quid obscuris latitabis umbris?
Hem, quid ingrato tumulabis ore?
In pedes actum Mea Musa versum
Vatis Amici.
Vt tuam mentem recreauit olim:
Iam semel sphæras Aries retorsit,
Et semel Vernas satiauit omni
Flore corollas.
Cynthius currum posuit coruscum,
Ante supremi penetrale Tauri,
Iam semel. Lassum Pyroentha multis
Abluit vndis.
Attamen soluis meritos amores
Segniter: quamuis Tragico cothurno
Detulit te, Sarmaticæ per oræ
Tecta suprema.

Quippe

Quippe tlaudebas numerum supremi
Numinis, quando redimita myrto es.
Ille te cunctis cecinit referre
Præmia digna.
Ecce non sistit resonare plausus:
Ecce sublimes iterat Camænas:
Cingitur vertex tibi dum tyarâ
Philosophorum.
Si Clytemnestræ soboles vocari
Expetas; feruebit amore Phocæi
Pignoris: feruebit amore Thesêi,
Pyritous si.
Eia festiuos Mea Musa cantus
Exere: & quidquid potis es Mineruâ
Exere: in notos Helicone versus:
Vbere vena.
Artium lyta est, Soboli Satoris,
Quas litant, ad bicipitem, Sorores,
Victimas, montem: has modo tu litare.
Ne sine lytæ
Sole non terras alio calentes
Regna Neptuni spatiosa, nullis
Vidit in campis, cita Doris amplo,
Quæ pede calcat.
Noscit Oenotrum tamen ille gentem,
Noscit Aruernos opibus potentes,

Noscit

Noſcit & Flandros, Liguresq; noſcit,
Noſcit & Afros.
Dormiat formoſus Hylas quibuſnam
In vadis: fluctus vbi ſint Orontis,
Ac vbi currant Tiberis liquores
Noſcit, & vnde.
Gaudio gliſcis? ſubitò reclude
Carminum fontes, ſubitóq; vinctos
Rumpe conatus. Velut amnis vndas
Sic melos auge.
En diem lætam fatigare luſu,
En modos neruis geminare dulces
Adiuuat, pratis reſidens amænis
Ipſus Apollo.
Viden' vt lectum ſtephanoma crini
Apparet: cernis ſolium Sophorum?
Pandito ſaltem. Titulos futuros,
Ne fuge THOMA.

Modulata Amoris ergô
Per
IOANNEM TANSKI
Laureæ Secun. in Phil:
Licentiatum.

Ad Maiorem Dei Gloriam.



CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Matthiæ Andreouiensis.
Anno Domini 1636.